

eum vocari permittit. *A cuncta enim cecidit sanctitate, qui nimirum ab Ecclesia Catholica sponte profluit. Non enim fas est, illum ex quacumque laude cognominari, qui jam olim damnatus est, & abjectus ab Apostolica Sede Romana Urbis, ob externae sensum opinionis, donec ab ea recipiatur, conversus ad ipsam: immo ad Dominum Deum nostrum per piam confessionem, & orthodoxam fidem, qua sanctificationem recipiat, sanctumque vocabulum. Itaque si vult haereticus non esse, neque audire; non illi, aut illi satisfaciat; superfluum quippe hoc, & irrationabile est: quia, sicut uno contra eum scandalizato, omnes scandalizati sunt; ita quoque uno satisfacto, omnes proculdubio satisfiunt. Festinet pro omnibus Sedi Romanae satisfacere. Hac enim satisfacta, communitur ubique omnes pium hunc, & orthodoxum praedicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos, ac serripiendos putat, & non satisfacit, nec implorat Sanctissimae Romanorum Ecclesiae Beatissimum Papam, id est, Apostolicam Sedem, que ab ipso Incarnato Dei Verbo, sed & omnibus Sanctis Synodis, secundum Sacros Canones, & terminos, uniuersarum, que in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei Ecclesiarum, in omnibus, & per omnia percepit, & habet imperium, auctoritatem, & potestatem ligandi, & solvendi. Cum hoc enim ligat, & solvit etiam in Caelo Verbum, quod Caelestibus Virtutibus principatur. Si enim alios quidem satisfaciendos ducit, & Beatissimum Romanorum Papam nequaquam implorat, simile quiddam agit ei, qui forte homicidii, vel alterius cuiusdam criminis redarguitur, & infontem se, non ei, qui secundum leges iudicandi iura sortitus est, exhibere festinat: sed tantum inutiliter, & sine lucro aliis, & privatis hominibus munditiam monstrare sui satagit actus, qui nullam habeant se solvendi a crimine potestatem &c. Hac, que Plebi suae Cyprianus, unigue Petro Illustri Maximus scripsere, saluberrima monita, mihi imprimis, cunctisque Fidelibus velim altissime impressa perpetuo inhærere. Quapropter Tomum hunc secundum, uti & priorem, errores à Sede Apostolica iustissime condemnatos, argumentis non uni scholæ propriis, sed uniuersæ Ecclesiae Catholicae communibus invictissime debellantem, Reipublicæ Christianæ perutilem, libenter, atque avidè amplector; utque dignos tanti authoris laboribus fructus referat, etiam in animis adversariorum, vehementer exopto, ac propterea luce publica dignissimum cenfeo, salvo semper Majorum, ad quos pertinet, iudicio.*

Romæ secundâ Maji Sancto Athanasio Catholicae Religionis acerrimo Propugnatori sacrâ, anno 1719.

Thomas Josephus Archiepiscopus Seleucia.

APPROBATIO

Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini

HENRICI JOSEPHI

Dei, & Apostolicae Sedis gratiâ Episcopi Brugensis, perpetui, atque hereditarii Flandriae Cancellarii &c.

Cum à nata hæresi Janseniana, non frustra tortuoso colubro in varios gyros, & Cavillationum deflexu eunti comparatâ, hujus defensores *iisdem artibus, quibus olim Pelagius, & Caelestius* (prout Episcopi Galliarum literis secundâ Septembris 1656. datis significabant Alexandro VII. Pontifici maximo) *grassati fuerint, ut incautorum, & simplicium animis illuderent;* singulari profectò est extollendus præconio utilis usus, & gloriosus illorum zelus, qui, prout S. Augustinus Pelagianorum, ita defensorum istorum artes, & versutias nativis coloribus descriptas omnium oculis subjiciunt; Quippe *Ecclesiae victoria est, magno hæreticorum Antagonista Sancto Hieronymo teste, horum artes, & sententias prodidisse.* Nos igitur, quos charitatis non minus, quam veritatis amantes plurimum miseret Gallorum istorum, qui Quesnelli, defensorum hæreseos Jansenianæ modò Coryphæi, artibus illusi, cæcumque ejus ducatum miserè sequentes, contra stimulum calcitrant, & à Constitutione UNIGENITUS appellantes ruunt in profunda mortis per præcipitia falsitatis, applaudimus, & gratulamur ardenti zelo, quo flagrat auctor elaborati, cedroque digni operis, cui titulus, *S. D. N. CLEMENTIS PAPÆ XI. Constitutio UNIGENITUS Theologicè propugnata cum Synopsi,* cujus Tomum secundum jam luce publica donandum gaudemus. Quisquis opus illud non studio partium, sed sincero indagandæ veritatis amore consuluerit, aut consulturus est, agnoscere tenebitur, quòd *verè ibi sit fons Jacob,* cujus salubribus aquis si laventur, & acuantur eorum, quorum jam meminimus, ludificati oculi, clarissimè conspicient, proscriptas centum, & unam Quesnelli in novum testamentum observationes non continere fontem aquæ vitæ, aut fontem Salvatoris, è quo hauriendæ sunt in gaudio aquæ ad salutem; sed Cisternas, Cisternas dissipatas, atque aquas Geon turbidas, & repletas cæno doctrinæ jam à Summis Pontificibus, Sancto Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII., Innocentio X., Alexandro VII., Clemente IX., Alexandro VIII., & Innocentio XII. Solemnissimis Constitutionibus reprobatæ. Limpidissimæ aquæ hujus fontis Jacob spectatum dabunt, quòd tenebrio ille Quesnelli morem hæreticorum secutus fuerit, qui, ut Sanctus Athanasius ait Epistolâ ad Episcopos Ægypti, & Libyæ: *Verbis Scripturarum se audent adornare, at voces quidem proferunt; verum autem celant sensum, atque hoc pacto singuli, proprio commento insidiosè obtectò, eorum, quos in errorem inducunt, sunt homicidæ;* periculum istud ut avertatur, etiam atque etiam optamus, ut omnium oculos sive in veritatis patrociniis, sive in cæcitatibus remedium opus hoc subeat, tamquam saluberrimus fons è montibus sanctis dimanans, & lætificans Civitatem Dei salientibus in salutem aquis, utque super his ita feratur Spiritus illuminans sensus, & corda, ut, qui modò aberrant, ad viam veritatis revertantur, fateanturque cum Sancto Augustino, *nihil gloriosius quam subjici, & vinci à veritate.*

Ita dabamus Brugis in Palatio nostro Episcopali hac die 20. Octobris 1718.

Henricus Josephus Episcopus Brugensis.